



REVERENDISSI

MO IN CHRISTO PATRI, PRINCIPI, AC
DOMINO D. STANISLAO TVRZO EPI/
SCOPO OLOMTZENSI &c. DIGNISSI
MO, BEATVS RHENANVS SELET/
STADIENSIS, S. D.



VM in hoc uere aureo renascen-
tiū literarum seculo, STANIS-
LAE præsul eximie, quo nō mo-
do tres illustres linguæ passim
discuntur, sed & quanto quæq;
scripta sunt meliora, tanto plu-
ris fiunt, ab omnibus operam
dari uideam, ut optimis studijs
quisque pro uirili sua consulat, Et alius quidem incognita
adhuc Latinis auribus è Græco uertit, alius indocte uel
perperam uersa castigat aut elimat, Alius Latinos auto-
res iniuria temporū deprauatos ueterum collatione ex-
emplarium restituit, aut obscuros explicat, Ego sanè ne
prorsus sim asymbolus, operæ precium putaui, si Tertul-
liani lucubrationes in publicum emitterem auctoris non
minus uetusti quàm insignis, quibus iam per tot secula
studiosi sacrarū literarum caruerunt. Atque cum dispice-
rem cui nam tam præclara monumenta consecrari debe-
rent, in primis tu dignus mihi uisus es, cui scriptor anti-
quissimus tanquam optimo patrono dicaretur. Nam ea
es eruditione & optimarū disciplinarū peritia præditus,
& ijs perspicacissimi ingenij dotibus polles, eaque uitæ
sanctimonia cōmendaris, ut autor eruditissimus, acutis-
simus, feruensque Christianæ pietatis assertor, libenter in
sinum tuum conuolet, nimirum ut ipsum aduersus mo-
rosos quosdā qui perinde ueteribus ac nouis offendun-
tur, tuo patrociniō defendas. Nec uero patitur epistola,

a 2 ris angustia

